

Summaria sed Neceffaria

TAXATIO

Famofus illius Scripti

à

MINISTRO SVECICO

nuper editi.

Anno M. DC. LXXVII. Mens. Novembr.



Nullus licet dubitem, Mini-
strum illum, quem in Scripto illo fa-
moso, (quod titulo RESPONSIO-
NIS AD LIBELLUM MEMORIA-
LEM S. R. MTI. ET REIP. PO-
LONIE ABS DANICO MINI-
STRO EXHIBITUM, insignire tuo supercilio
visum fuit) nominas Danicum, Svece, partes
tuas pro virili defensurum, criminationesque in
eum largiter effusas dignè repressurum: nec at-
tento, quod, quæ adhuc refutanda in eodem tuo
occurrunt sufficienter in scriptis anterioribus à
parte Elect.^{li} in publicum editis, Svecis decanta-
ta sint, eaq; ratione tanto minori replicâ tuæ ha-
bendæ invidiâ plenissimæ nugæ; religio tamen
prohibet, tacitò, quod ajunt, pede tua enor-
mia in Serenissimum Electorem Brandenburgi-
cum, Heroëm istum incomparabilem, tam irre-
verenter horrendumq; in modum jacta convi-
tia (ne dicam, quàm frivole de Potentissimo
Daniæ Rege sentias, quaque propter ab Ejus-
dem Ministris absque dubio sufficienter coërce-
beris) præterire, quin potius, quantum per
occupationes vacabit, eadem intuum transfun-
dere impudentissimum sinum. Nunquàm fa-
nè credideram, quod adeò omni verecundiâ
mode-

E XXXI
mi nro.

modestiaque, quibus mundum fallere in deliciis
habes, exutis, eo effrenem licentiam tuam laxa-
turus esses, ut inclytas istas Potentias, quarum
tot bellis partæ gloriæ vel succensere saltem
omnis terrarum orbis horrore quodam sacro
occupatur, tuo nefario livore ita arroderet ad-
oriri que ausurus esses; ut vel subditorum quivis
fidus non detestetur vel inaudire tuum saltem
Svece nomen, (quod hic ebuccinare supervaca-
neum credo, cum ab alite, qui tibi id indidit,
cujusque inhiatione rapaci juxta ac invidâ omnes
Sveci naturaliter pollent, hisce regionibus no-
tissimus) sed & ea, quæ facta tua merentur, in
te destinare certatim vota colligant. Hisce ita
perpensis in te calamum strinxi, Svece, non
eô animo, ut injurias Ser^{mo}. Electori Brandenb.
illatas satis dignè vindicare valeam, sed ut do-
lore saltem meo impræsentiarum aliquatenus
me exonerem: ex parte quoque insigniter de-
lirantes & præcipitatas tuas, quibus quasi rebus
egregiè peractis gaudes, loquendi statumque
Ser.^{mi} Electoris falsò & nefariè insimulandi for-
mulas publico bono, in tui verò, si amas, emen-
dationem, explicarem. Nescio profectò qui-
bus furiis sollicitatus (Divino enim instillante
numine non factum) Svece, quave invidiæ

amentia iratus virtuti Gloriamque Ser^{mi}. Electoris calumniando detrahere ita ineptè & insipienter rapiaris? Singulari ista, quam crepas, prudentia ornatus si esses, à criminationibus sane per modestiam, prout characterem decet tuum, abstineres. Ut autem aliquantulum modò tua pervestigem futilia, prætereundo cæteras, quas nulla sanè responsione dignas duco, copiosas nugas fabulasque, quibus ut instantes crepundiis ineptè delectaris, garris in tua tam operosa egregiaque scilicet ad Regem Remque Publ. Poloniæ, (qua fortè ratione ab iisdem insignem inibis gratiam) datâ Epistolâ: *Quod nescias unde insomnia hæc terroresq. Danos Brandenburgicosq. urgeant, quod Sveci id hætenus egerint, ut militem Poloniæ exauclorandum in servitia Suecica conscriberent.* Tute studia tua lucubrationesq; prodis noctivagas, Svece, nec easdem conscientia scilicet mille testis vi occultare vales. In propatulo enim est, quibus artibus, quamque operosè auxilium pro diversione passim Electori faciendâ ab Aula Polonicâ (licet nequicquam hætenus per DEI gratiam) sollicitaveris aureosque eapropter montes offerre, moxque in hanc mox in illam partem irruptiones populationesq; monstrare non veritus fueris.

ris. Ast sapientissimè hæcenus Ser^{mus}. Rex
Resq̃uepubl. Poloniæ, (prout quos inter &
Ser.^{um} Electorem multis ab annis perpetua coa-
luit, perq̃; Regias Successiones confirmata est
pax) sibi consulere, dum tuis, quibus os sem-
per sublinere sategisti officiis, fidem nullam, in-
signi scil. eorum emolumento securitateque ha-
buere. Simulac igitur mortuis te jocosum dixis-
se sensisti, in alias flexo fabricas animò, varios
de varia eaq̃ue insigni militum collectione, de
irruptione ab hac vel illâ parte faciendâ rumo-
res spargere, calamoque potius & philosophan-
do (si quâ eodem hostes fundi possunt) quàm
gladio certando operam navatam perdidisti.
Quod de fœdi fragio ab Electore Brandenbur-
gico in Svecos commissio fabularis, Svece, er-
rare te confiteare saltem : aut si oblitus, ve-
niam roga : cum universus te in ruborem da-
re, invasioneq̃ue ista nefanda in Electoratum
Pomeraniamq̃; (Ser.^{mo} Electore in expeditione
scil. contra communem Imperii hostem absen-
te) sustinereq̃; orbis possit, hoc encomio tuam
coronatam esse nationem : & fœdus illud ad
decipiendum secureq̃; Ser.^{um} Electorem red-
dendum potius, quàm in ejus securitatem pe-
pegisse. Porro blateras, *Subsidia Polonica. Submis-*

sa & præter urgentem necessitatem revocata, ex desertoribus militiæ Polonicæ adeò adaucta esse, ut duplo vel triplo numerosiora, quàm qui missus fuerit, milite, Poloniâ exiverint. Mentiris utrumque Cain. Quanam enim necessitate impulsus Ser.^{mus} Elector fuerit, copias suas plurimam partem in Scythiâ, expeditione illa longinqua & molestâ aut mortuas aut continuis fatigationibus inediâque, quæ ex justo ad tenorem Pactorum numero præstitæ, superstites erant, ex Poloniâ revocare, hîc enarrare supervacaneum, cum nemo in orbe adeò ignarus sit, quod hæc ipsum latere rationes queant, nec tui in gratiam hîc ruminari vacat. Si verò penitus in rem inquirere tibi lubentia est, Aulam Ser.^{mi} Electoris, quæ tuæ maledicentiæ frequenti multis ab annis meritam debet mercedem, adiri periculum fac, operæque tuæ dignum retributum iri pretium certus esto. Quod numerosiores copię auxiliares istæ ex Poloniâ in Prusiam ab expeditione reduces fuerint, ut nugaris, falsissimum esse, vel tota Pruscia, iiq; qui eas in reditu lustrarunt lustrarique viderunt, testantur, teque aperti mendacii dictatorem arguunt. Si enim numerosiores copię fuissent, tot millibus aureorum à Ser.^{mo} Electore, ad

ad supplendum, in hisce cohortibus miserrime debilitatis, justum, quò in Poloniam mittebantur, numerum, erogatis, opus non fuisset. Quàm ergò malè insipienterque tuis, quos tamèn precario exque commiseratione saltem à Gallis obtines, sumptibus ad exploranda nova utaris, ex hisce dictis satis liquet, & eorundem aliquando & te & Seductores Gallos, quamvis nimium serò, poenitebit. Ast ægrè talia te ferre posse vix puto, cùm mendaciis creberrimis assuetus falsa pro veris, veraque pro falsis venditare non erubescis: Unde & hoc tibi, quod communiter ejusmodi evenire hominibus solet, quod ubi fortè fortunâ ipsis veri aliquid in buccas inciderit, hac laborent labe, quod fidem nemo iisdem habere audeat.

Gesticulatur amplius Svecus: *Quod quâ moderatione Suecia cum hostibus transegerit, testis sit Germania, cujus Servatæ mercedem exiguam Suecia retulerit.*

An insanis Svece? An tuâ te vaniloquentia toti orbi ludibrio expositum is? An in id te incidisse Seculum autumas, quo artes illæ Svecicæ veteres, injustitia scil. doli mali, astus, rapinæ, populationes, spolia, aliæque id generis

ris Svetici nominis propriæ egregiæque virtutes latere possint ? Qua injuria olim Pomeraniam Sueci involaveritis, possessionemque ejus de facto ceperitis, vi, dolo, religionis & aliis prætextibus Electori Brandenburgico, prout naturali suo Domino extorseritis, lippis & tonsoribus, ut ajunt, & pueris, qui saltem literas cognoscere didicere, ex seculi hujus monumentis, quorum plurima de egregiis scil. Svecorum in Germaniam meritis extant, fatis superque notum est.

Veterum illorum Svecorum olim intentiones studiaque pro salute Imperii Romani an sincera fuerint hîc non inquiram : nec quod fuerint ambigam : ast ab antiquâ illâ virtute quâ unquam fuerint, modernos planè degenerasse in aprico est : relligionis illô, quod tam impie hætenus prætexere multum sibi negotii facessere, quoque circumvenire occœcareque totum orbem posse somniant, palliô adeò laceratô, ut vix minima aliqua ejus incolumis amplius restet particula.

Suades ulterius Suece, garrisque (prætereundo cætera tua nihili habenda dicteria) quod *Polonia debeat uti suis copiis propriis ad recuperandas Provincias suas, & quidem eas, à quibus Sveci ad*
Regis

Regis Poloniae intercessionem tuo ministerio abstinuissent.

Reg.^æ suæ M.^{ti} Reique publ. Poloniae pro opera affectuque suo benevolo, quibus vigore Pactorum, quæ Eidem cum Seren.^{mo} Electore Sacra inviolateque tuendâ intercedunt, ad tranquillitatem Borussiae cœterarumque, quas nominas, Provinciarum conservandam uti placuit, Ser.^{tas} Elect.^{lis} sua dignas, ut fas est, retulit gratias. Tuum te verò ad hoc negotii, si quâ adhibitum, laborem adeò ostentare, risu potius quàm admiratione dignum est, cùm de tuâ, pro ingenio, impensâ in Ser.^{mi} Electoris Provincias voluntate satis mundo constet; tuosq; nationales non tam ad Instantiam Ser.^{mi} Regis Poloniae quàm diffidentiâ iustarum, quibus ad infestandam (tum temporis licet copiis mercenariis denudatam, nativis tamen per Præfecturas Provinciae ad decem mille, prout tempore periclitantis Patrię mos est, collectis, satis munitâ) Borussiam opus erat virium, invasionem illam prætentam tentare non ausos esse, tum quoq; quod modo de Ser.^{mi} Electoris ex Alsatia reditu & cum exercitu appropinquatione subolerent.

Cœterum multas fortè adhuc debet incluta Poloniae Respubl. nationi Svecicæ gratias, ob truculenta internecinaq; ista bina, olim an. 1656.

d. 1. & 8. Maij à Rege Carolo Gustavo Mariæburgi publicata universalia, quorum vigore Civis Reipubl. civem, nobilisq; nobilem, ferarum ritu, contra omnem divinarum humanarumq; legum ordinem trucidare, trucidatiq; caput afferre imperabatur, eoq; respectu ejusmodi egregia Sveciæ in Rempubl. Poloniæ extant merita, ut non saltem ex integra Republ. omne nomen Svecicum eliminandum, sed & quicquid auram modo ejusdem spirare creditur cum pulvisculo everrendum sit. Hoc si urbs illa inclyta probè observasset, teq; Svece jam dudum eiecisset, beatus sese modo haberet: Gedanum dico, omnium scil. nefariarum tuarum ab annis aliquot Exercitationum, quibus cum commilitone istoc famoso fidissimoq; Strauchio splendidissimam illam urbem (quod nunquam expiabitis, cujusq; alta Posteritas væ tibi tuisq; manibus clamare olim materiam sufficientissimam habebit) miserè turbastis & concussistis, proh dolor? palestra, omnes suas tuis artificiiis præsentis in acceptis fert temporis injurias ancipitemq; fortunam. Hæc & similia tua quomodo orbi te commendent facinora, quidve mereantur, quivis à studio partium alienus judicabit arbiter. Nefarios istos contra Electoratū Domumq; Brandenburgicam,

cam, quibus Suecia hoc in bello usa est, ausus, at-
tentata, dolos, hic loci recitare non opus, cum
universo omnia constent orbi, eaq; propter per-
fidia suæ publicæ non tantum integrum Rom.
Imp. (à quo voto & Sessione in Comitibus exclusa
est) sed etiam Supremum Numen habuit vindi-
cem, etiamq; nunc habet: optimè enim & in hoc
consultuit humano generi Deus, quod plerumq;
scelerum insignium exempla eadem & vindictæ
illustris documenta sint, ne quis magis successu
maleficiorum animari ad paria consilia possit
quàm exitu eventusq; deterreri. Et licet unum
atq; alterum adhuc superesset monendum, ta-
men iis jam superfedere consultum duxi, ne scil.
ejusdem cum Sveco valoris præmortuiq; pудо-
ris habear, (quod tamen summo studio per o-
mnem vitam evitare unicum primumq; opus
meum ratus) tum quòd quicquid falsi in illum di-
ci adhuc possit, partim in cæteris anterioribus
istis in lucem editis scriptis ad satietatem de-
cantatum publicisq; typis mandatum sit. Satius
insuper Ser.^{mo} Electori Brandenburgico, armis
potius Svecos quàm convitiis, ut tu solitus es,
Criminator acerrime, Svece, debellare. Hisce
paucis ergo contentum te esse malim, Svece,
usq; dum malitiæ tuæ virus & ad convitia fre-
quenter

quenter emittenda fataliter tuoq; proprio malo
damnatus ad acerbiora reponendame excitabit
calamus. Siqua igitur restat tibi aliquis pudor,
incolumemve (quam tamen à te exulare jam du-
dum ob multas rationes conicere licuit) serva-
re quantillam amas honestatem, tace potius
quàm ut amplius Simei (Regis & Psalmistæ Da-
vidis Calumniatoris istius famati) exemplò Se-
ren.^{mos} Potent.^{mosq;} istos Heroës Regem Daniæ
scil. Electoremq; Brandenburgicum (qui vel ti-
bituive similibus & supra Hamanis Excellentiam
exaltatis non inviderent sortem) convitiis tuis
abominandis nefarie persequaris. Sin verò hi-
sce tuis assvetis amplius delectari cupies nefariis
detrectationibus, aut Simei olim istius modò di-
cti ejusdemq; farinæ aliorum non effugies fata,
aut locus iste, qui aliàs Custrinum appellatur,
quiq; tuo supra memorato egregio illo socio,
complici fidissimo, creditoriq; ob mutuò datos
5000. Imperiales thaleros justè venerando satis
securus, idem tibi aliquando fortè erit, sic-
que debitas malitiæ tuæ ad satietatem hæcenus
exercitæ temporales in terrorem affecla-
rum cæterorumq; pessimorum
dabis poenas.

